



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 77. Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis de Astrologia Judiciaria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Censura Facultatis Theologicæ Par-  
sensis de Astrologia judiciaria.

Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo die sexta coll. jud. tom. mensis Augusti sacra Parisiensis Theologorum facultas cuidam precationi, quæ pro avertenda peste recitanda divulgbatur, censoriam notam inussit, eamque damnavit tanquam a ritu Ecclesiastico alienam, ac suspectam vehementer de superstitione: Anno autem currente ejusdem Facultatis judicium a Parisensi Curia rogabatur circa librum Simonis Pharees Astrologiæ judiciariæ studiosissimi. Huic ab Archiepiscopo Lugdunensi jamjam interdictum erat, ne Astrologiæ divinatoriæ incumberet; nunc vero, & ipse in eadem urbe comprehendebatur, ejusque libri, quos de hac arte scripsit, jussu Episcopalis Officialis fisco adjudicati fuerant, lata in eum sententia, qua imposterum hanc artem divinatoriam exercere prohibebatur, eidemque ob præterita ejusmodi crimina quædam poena injungebatur. Cum vero Pharees ab hac sententia ad Parliamentum provocasset, nec tamen illud hanc caussam in consulta Facultate dijudicare vellet, Senatus ad illam Astrologiæ libros ab Officiali

N n 3

Officiali

Sæcul. XV. ciali Lugdunensi interceptos transmisit,  
 A. C. 1493. diligenter examinandos. Hanc in rem  
 facultas Deputatos nominabat, & refer-  
 rentibus illis Facultatis nomine acta in-  
 struebantur, quæ judicium de omnibus  
 hisce libris a Deputatis latum comple-  
 tebantur; demum Facultatis Doctores  
 Parisiensem Curiam adhortabantur, ut  
 ea strenue sese opponeret hujus artis pro-  
 gressibus, quam illi perniciosa declar-  
 abant, *prospera vanam, nullaque probabili*  
*ratione fulcitam, mendacem ac fallacissimam,*  
*superstitiosam, divini honoris usurpativam,*  
*bonorum morum corruptivam, & a demo-*  
*ne mendacii patre ad animarum ruinam ad-*  
*inventam.* Hæc sententia lata est die se-  
 cunda Maji anno millesimo quadringen-  
 tesimo nonagesimo quarto; ubi etiam in-  
 dicantur tituli plurimorum librorum de  
 Astrologia tractantium, cum succincta eo-  
 rum, quæ in illis continentur, ennarratione.  
 Hoc Facultatis judicio permoti Parisien-  
 sis Curiæ Senatores edictum promulga-  
 runt, quo sententia a Lugdunensi Offi-  
 ciali lata confirmatur, ac prohibetur,  
 ne hæc ars divinatoria exerceatur, di-  
 vinatores convenientur, aut libri de hac  
 arte tractantes vendantur, nec illis quis-  
 quam utatur, simulque præcipit, ut tam  
 ipse Simon Pharees, quam ejus libri de-  
 nuo Lugdunensis Curiæ Officiali remit-  
 tantur.

§. LXXVIII.